

**Dissertatio inauguralis de febre pestilentiali et maligna in genere /
[Balthasar Widmarcter].**

Contributors

Widmarcter, Balthasar, active 1640.
Rolfinck, Werner, 1599-1673.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jena : E. Steinmann, 1640.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ja5beuy6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b31869178>

D. O. M. A.
DISPUTATIO INAUGURALIS
De
**FEBRE PESTI-
LENTIALI ET MALI-
GNA IN GENERE,**

Quam
**Jussu & Autoritate Gratiofis-
simæ Facultatis MEDICÆ,
SUB PRÆSIDIO**

V I R I

Amplissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi

Dn. D. WERNERI ROLFINCKII,
Philosophi & Medici Celeberrimi, Facult. Med.
Profess. Publ. meritissimi, & Senioris gravissimi, Domini,
Præceptoris, Promotoris & Patroni plurimum ob-
servandi, colendi.

*Pro LICENTIA & summis in Arte Medica Privile-
giis legitime impetrandis,
Publicè ventilandam proponit*

BALTHASAR WIDMARCTER
Willerstadio-Thuringus.

In Auditorio majori hujus consuetis
ad d. Januarii.

J E N Æ
ANNO M DC XL.
TYPIS ERNESTI STEINMANNI.

W 589 7





Cum Deo.

INter accidentales Februm differen-
tias, vulgata & cognita maxime necessaria
est, quæ febres malignas & pestilentes
complectitur. Non enim saltem sæpius,
quibusdam temporibus, in una vel pluri-
bus regionibus & urbibus, communiter
grassantur; sed etiam per multas alterationes & fermenta-
tiones, tanquam per gradus, in ipsam Pestem, morbum ge-
neri humano perniciosissimum, degenerant; ut, si hanc
ab illis discernere Medicus, & pro posse præcavere velit,
ipsarum cognitioni summopere incumbere necesse habe-
at. Oppidò verò de ipsarum naturis & curationibus, ob
varietatem & occultam naturam, diversæ oriuntur senten-
tiæ, ut cuius adhæreas, semper tamen contrariæ sententiæ
Patoni repugnent gravissimi. Quibus plerisq; missis, pro-
babiliora, pro virili, ex Proceribus Medicis, breviter pro-
ferre conabimur.

NOMINA Pestis, pestilentialis & malignitatis, unde
orientur, videri possunt Autores. Scire hîc sufficiat in ge-
nere, nominibus illis denotari rem quamcunq; pernicio-
sam: in specie verò, partim morbum periculosum & per-
niciosum, partim statum & conditionem temporum anni,
quibus morbi tales grassantur; *Galen. in Proœm. in 1. Epid. &
6. epid. com. 1. t. 29.* Licet verò pestilens & malignum inter-
dum sumantur pro synonymis; Usus tamen obtinet distin-
ctionem, ut malignitas latius pateat pestilentialitate: quam
pro usu & instituto nunc magis, nunc minus observabi-
mus. Ipsam verò DEFINITIONEM REI quod attinet,
cum duo in febribus pestilentibus & malignis sint obser-
vanda & distinguenda, febris se habens ut genus vel mate-
ria, & pestilens ac maligna qualitas, ipsi adjuncta ut diffe-
rentia generi vel forma materiæ, atq; præterquam quod

febres hæ sunt è complexorum genere, formalis malignitatis ratio lateat, de qua *Scal. exerc. 325. f. 4.* pro voto commendare nequimus. Describimus tamen FEBREM PESTILENTIEM & MALIGNAM IN GENERE; de hac enim solum modo hic erimus solliciti, morbum partium similarium acutum, occultum & venenatum, cor hominis primario lædentem.

Pro majori explicatione PRÆNOTAMUS 1. Pestem & febrem pestilentialem distingvi secundū *Gal. 3. epid. c. 3. 3. Præfag. Puls. 4. 1.* PESTIS est, cum materia pestilens, etiā sine putredine, per se & proximè homini nocere, eumq; jugulare potis est; cui, morbo inducias cōcedente, nec hominem mox jugulante, si febris, quod plerumq; fit accedat, febris pestilentialis à multis Medicis appellatur, neq; subiecto, causis, aut genere distingvuntur. Febris autem Pestilens in specie sic dicta, semper est conjuncta putredini, quamvis nec hæc sit de malignitatis formali, & non tantum à malignitate, sed etiam putredine imminet periculū. 2. Distingvuntur principaliter pernicipiei & contagionis vehementia. Pestis enim est morbus summè perniciosus, ut plurimi infecti pereant: summè contagiosus, ut obvii quiq; ab ægris inficiantur, *Gal. de Theriac. ad Pison. c. 16.* & non solum in proximos, sed & remotos, per aërem vel fomitem, contagium propagat, plerumq; à causa communi proveniens. In pestilenti verò febre est minor venenositas, minusq; contagium, & vel quidem pleriq; moriuntur, alii tamen non inficiuntur, aut saltem prædispositi, & proximè cum ægris conversantes: vel, licet & pernicipies & contagium idem, quod in Peste animadvertatur, quamvis rarò contagii semina, vel per aërem vel fomitem, ad longè distans spargat, utrumq; tamen summum gradum non attingit, ac non pauci convalescunt.

Atq; sic pestis & febris pestilentialis in specie sic dicta, *formaliter & causis essentialib.* differunt: quamvis enim uterq; affectus à veneno fiat, non tamen fit ab eodem veneni genere. Nec tamen etiam necesse est, ut semper causis efficientibus respectivè remotis, pestis nimirum ex communi

muni aëris vel victus, pestilens verò febris ex privato morbo apparatus oritur; nam experientia teste, tam sporadicæ quàm epidemiæ dantur pestilenciales febres & malignæ, videatur *Foresti observationum l. 6. Herc. Saxon. l. 8. c. 37. & l. 11. f. 2. passim.*

PRÆNOTAMUS 2. Malignas febres in specie sic dictas differre à Pestilentibus, quod periculum minantes spem salutis non adimunt. *Gal. 1. Prorb. t. 14.* Fit autem dupliciter. 1. Cum omne quidem venenum abest febrî, ob causæ tamen vehementiam & malam aliquam dispositionem, v. g. humoris cruditatem, acrimoniam, vel loci affecti rationem, curatio difficilis redditur, & graviora apparent symptomata. 2. cum ob occultam & venenatam dispositionem, gravia illa apparent symptomata, morbusq; periculosior evadit, de quo modo hic sumus solliciti.

Sicut autem febres pestilentes à peste differunt gradu perniciosi; ita malignæ à pestilentibus; materia enim à qua pestis provenit, ab ea, à qua febris pestilens, & à qua maligna, specie differt. Pernicies autem & contagium in Peste, sunt summo in gradu; minoris vehementiæ in pestilentibus; & adhuc minoris in malignis, in quibus contagium sæpe plane abest. *Herc. Saxon. Petrus Salius Diversus, alii.* Comparatio autem nō intelligenda accidentaliter, secundū magis & minus, quæ speciem non variant; sed essentialiter. Veneni enim naturam à priori ignorantes, ex effectis & accidentibus cognoscimus causam & subjectum *Gal. 3. de Cris. 4.* Malignæ igitur febres, sunt inter pestilentes & putridas mediæ, sicut pestilentes inter pestem & malignas; malignitas tamen tanta non est, ut per se, nisi putredo humorum & febris accedat, homini adeò nocere atq; eum jugulare possit; & licet graviora quædam habent symptomata, pauciores tamen inde moriuntur: periculosiores nihilominus sunt simpliciter putridis, & ad veram pestem via & initium.

GENUS quod attinet, esse febrem pestilentem & malignam morbum, impotentia actiones naturales exercendi, satis manifestat, eumq; partium simularium ex actioni-

bus læsis patet. Cùm autem duo sint genera morborum, partium similarium; manifestum, primas qualitates elementorum, & occultum, divinius principium elementis, tota substantia à Medicis dicta, lædens; utrumq; hic concurrat, dispositio nimirum tum manifesta elementaris calida, tum venenata & occulta. Morbum autem acutum propriè sic dictum, demonstrant præcedentia, consequentia, & essentialiter inhærentia, calor acris, pulsus, modus invadendi, paroxysmi, motus morbi, cum celeritate, periculo & vehementia, variæ humorum excretiones putridæ, ratio curandi, *Gal. 1. de diff. febr. 5. venenatum & occultum* morbum testantur accidentia subsequenter, gravissima & sævisima, subitaneus virium lapsus, sæpe sine causis manifestis, calore intenso, excretionibus, vigiliis, doloribus &c. citra naturam febris. Vocatur autem occultus, quia licet formalis malignitatis ratio sit definita in natura, certæq; vires; in hominum tamè animis earum causæ haud omnino certæ & manifestæ sunt, quod nunquam unius modi contingunt, adeò, ut in tanta varietate, adde & formarum caligine, generale aliquid statuere & exploratum, perarduum sit ut ait *Paræus de Peste*. Quia autem à malignitate & febre interdum ipsum COR, & partes solidæ, interdum SPIRITUS magis afficiuntur, ob similitudinem ad ephemeræ & hecticas etiam referuntur: *Gal. 3. de Pres. Puls. 3. 4. 10. m. m. in fine, 2. diff. febr. 9. v. Herc. Sax. 1. 2. Phœnigm. Fracastor. de morb. contag. l. 2. c. 4. & 5.* quod tamen fit ob defectum appellationum commodiorum; propriè enim tales non sunt. Nam in vulgaribus ephemeris & hecticis, saltem fit mutatio qualitatum corporis manifesta, atq; ephemeræ citò, absq; periculo, nisi error externus accedat, & putredine; (spiritus enim igneos & mobiles, supra sortem elementorum elevatos, modo vulgari putrescere, adhuc in dubio) hecticæ tardè, sine dolore & putredine, absq; causa continente & fovente, terminantur: quæ de pestilentibus & malignis dici non possunt, cum occulto & peculiari modo corrumpan, & plerumq; imò semper putredinem excitent. Dum verò humores putrescentes, non tam variant ob diversitatem

tem

tem suæ naturæ, quam loci in quo hærent; atq; hinc febrium putridarum aliæ sint continuæ, aliæ intermittentes, febres pestilentes in specie & contradistinctas malignis, omnes **CONTINUAS** censet *Sennertus*, quia nimirum venenatæ putredinis ea sit vis, ut quocunq; in loco excitetur, in totum corpus se diffundat, & corruptis, in venis atq; arteriis magnis, humoribus, facile continuo cor laceffat: natura verò impedita & oppressa, morbum vel certo ordine aggredi, vel ab humoribus corruptis aliquandiu sese liberare non possit, neq; certis intervallis humores pestilentes expellere. Quamvis etiam putredo pestilens, in humoribus in primis viis contentis, primò accendi possit; tamē propter maximam activitatem veneni, humorumq; & vasorum continuitatem, facile labes illa superioribus quoq; venis communicari potest. **MALIGNÆ** tamen in specie, atq; in primis, quæ ex privato humorum vitio generantur, licet maxima ex parte sint continuæ, intermittentes tamen interdum esse saltem experientia superiorum annorum in quibusdam Germaniæ locis, docere potest. Cum enim in talibus febribus tanta veneni vis non sit, nihil obstat, quin natura, statis periodis, excretiones aliquas instituere possit, si in primis viis humores malignitatem concipiant. Quem ad modum autem continuæ, nulli earum generi peculiariter sunt addictæ; sed, prout Putredo in hunc vel illum morbosum apparatus & humorem incidit, nunc synochas, nunc periodicas, cum horrore & quibusdam exacerbationibus, excitat: ita intermittentes, nunc periodum certum observant, nunc minimè, dum natura oppressa, materiæ minore vel majore quantitate, ordinem in motibus suis statum servare non valet. Vid. Autores passim.

SUBJECTUM adæquatum & denominationis, est totum corpus, aut præcipue ejus partes viventes, quatenus calorem quendam actualem, ex insito & influente conflatum, habent; dum is mutatur, intenditur, vel corrumpitur, non saltem temperiei elementaris, sed & totius substantiæ ratione. Cum enim contraria ex eodem subjecto se mutuò expellant, & actio fiat à contrariis, sub eodē gene-

genere contentis, *Arist. 1. de gen. & cor. 7. idem, respectu ejusdem, erit sanitatis & morborum subiectum. Quia autem nullum membrum in toto corpore, est magis ad vitam necessarium & principalius CORDE; utpote, quod, naturaliter constitutum, per spiritus & sanguinem, temperiem naturalem totius corporis fovet; idem, calorem, p. n. concipiens & malignam qualitatem, easdem toti corpori communicans, est subiectum Principale, quod quidam inhæſionis vocant. Febris enim generari non potest, nisi corde calefacto & affecto, Galen. 1. de diff. febr. 3.*

CAUSAS quod attinet, quamvis adeò, respectu malignitatis & veneni, determinari nequeant, cum si eas sciremus, rem ipsam sciremus *Arist. 1. Post.* (nondum verò eas gradum summum, pestem producendi, attigisse, ex dictis patet) IMMEDIATAS tamen & PROXIMAS, cum Doctissimis Medicis, statuimus, vapores putridos, malignos & pestilentes, sanguini & spiritibus permixtos vel caliditate & occultis qualitatibus, cordi ejusque facultatibus adversos, quas subito proſternunt, lædunt & abolent: vel febrem, præter & supra naturam ejus, curatu difficilem & periculosa reddentes.

MEDIATÆ PROXIMIORES INTERNÆ, sunt humores peccantes, toto genere, substantia & qualitate; venenati nimirum, crudi, excrementitii, humoribus in corpore per mixti, putredini & corruptioni obnoxii, vel sua natura & interna dispositione, vel externa atque occasione: cum enim sint corpori alendo minùs idonei, præterea accidentaliter bonis humoribus uniti, tanto studio, quanto naturales & boni, à natura regi nequeunt; sed pro ratione vitii & agentis externi, majoris vel minoris, sensim vel confertim, in putredinem & corruptionem prolabuntur, & secernuntur; secreti autem & seorsim existentes, ab iis, quibus permixti non sentiebantur, vel moti, naturam molestant & tot pessima symptomata inducunt, aut hominem enecant, ut habet *Hipp. de Medic. veteri.*

EXTERNÆ præcipuæ sunt aër, stellæ & contagium, humoribus vitiosas dispositiones inducentes: contagium tamen

tamen ut & aër certo respectu, tam ad internas causas, respectu ipsius corporis morbofi, quàm externas, tum respectu propagationis sui, tum corporis quod inficit, referri potest; quin omnes suo modo, ad remotiores referri possunt. AER, (vel potius mista aëri corpora,) vitiosus redditur, tam ob manifestas, quam occultas qualitates; idq; vel à superioribus, vel inferioribus. A superioribus, manifestis qualitatibus vitiatum & corrumpitur, ob constitutionem calidam & humidam, austrinam, pluviosam atq; alias temporum anomalias, quales describunt *Galen. 1. de diff. febr. 2. & 4. Hipp. 3. epid. c. 3. 3. Aph. in lib. de aëre aq. & locis*; quas ob non tantum corpora ad putredinem disponuntur, sed & vapores humidi, non discussi & cumulati, putrescunt, corrumpuntur, & venenatam naturam induunt. Occultis vitiatum, dum sine putredine, calida & humida aëris constitutione, aut præcedente anomala aëris mutatione, occultis quibusdam seminibus, naturæ humanæ adversis, inquinatur. Ab inferioribus aër potest vitari & corrumpi, cum venenatæ auræ & halitus è terræ cavernis, fodinis metallicis, mineralibus, aquis putridis, puteis, corporibus putrescentibus *2. de nat. hum. 4.* & similibus ipsi permiscantur; ob quæ sæpè gravissimos ortos morbos epidemios testantur historiæ.

STELLÆ & syderum influxus nō saltem aërem corrumpere possunt, ut pestilentia & maligna illa, quæ in eo continentur, *μιάσματα* homini communicata, gravissimorum morborum sint causæ; siquidem aër ita, vel manifestis vel occultis qualitatibus, affectus, corpori humano conservando aptus non est; sed humores ad tales morbos disponit & corrumpit: verum etiam proximè & immediate, occultis influentiis præcipuè, humores & spiritus corrumpit. Quamvis autem hæc non per se faciant, siquidem omnes astrorum influentiæ, etiam contrariæ, bonæ sunt, & ad universalem naturæ cursum necessariae; per accidens tamen, ob subjectorum specificorum & individuorum diversitatem, in quæ agunt, hoc efficiunt. Sicut enim quibusdam individuis æstas vel hyems nocet, ob

summum vel calorem vel frigus; ita etiam occultæ influ-
entiæ nocere possunt, quia ut manifestæ qualitates ad uni-
versalem illum cursum etiam sunt necessariae. Materia ta-
men talium *μιασμάτων*, quæ aëri insunt, & cum spiritu
attracta, corpora inficiunt, non à cœlo influit; sed in infe-
rioribus continetur, eamq; cœlestia corpora (ob genera-
tionem rerum, quæ per accidens destruit,) variè agitare,
disponere, miscere, & alterare possunt: neq; enim sunt
fructus stellarum ut Paracelsus putat. Quæ Astrologi spe-
cialiter docent, huc non pertinent.

CONTAGIOSUM inquinamentum, à morboſo cor-
pore alteri cōmunicatum, citra sensibilem aliquam altera-
tionem aut præviam dispositionem, similem specie affe-
ctionem morboſam producit: Quod fit vel per contactū
immediatum, vel mediatum, qualia sunt aër, vel fomes ali-
quis, exspirationes & halitus per poros cutis, *ἀδύλον δι-
απνοήν*, per sordes, sudores, vestimenta, stragula. Quo fa-
cit peculiaris corporis recipientis dispositio & analogia,
tūm occulta, qua corpori communicanti similis est, ut fit
in consanguineis, (quamvis ratione cōtagii sit *ἀντιπάθεια*,
actio enim fit ratione contrarietatis) nec veneno resistit;
tūm manifesta, quo referuntur pori ampliores corporis &
patentiores, temperamentum calidum & humidum col-
luvies humorum & similia de quibus mox.

Atq; hæ & similes causæ aliæ, prout sunt universalio-
res vel particulariores, sporadicas & epidemias febres re-
spectivè inducunt.

REMOTIORES & *προφάσεις* I. NATURALES, sunt
temperamentum, ætas, sexus, habitus corporis, calidiora
& humidiora, plethora, cacochymia; præcipuè *ιδιοσυγ-
κρασία*, de qua modò dictum, plurimūm valet; maligni-
tas tamen occultis qualitatibus atq; in omnis generis con-
stitutiones agit. II. NON NATURALES, plurimi mo-
menti sunt, CIBUS & POTUS putredini & corruptioni
obnoxius, vel perse, ut sunt cibus pravi & venenati succi,
corruptus, putridus, crassus, viscidus, fructus *ωρώαιοι*, sal-
sus,

sus, ficcus, aquosus, acris, tenuis, varius, contrariarum
 qualitatum, vina diuretica, aqua lutosa, limosa, putrida &
 similia assumpta; vel per accidens, ob præparationem talis,
 quantitatem nimiam, etiam bonorum alimentorum, mo-
 dum præposterum assumendi, & alia, quæ vel cumulant
 vitiosos, crudos, crassos & malignos humores, vel præ-
 sentes in primis viis, ad hepar, minores venas, & poros
 corporis impellunt, sanguini miscent, vel obstruunt. Atq;
 humores ejusmodi facile ulterius in deterius degenerant,
 putrescunt & vires exserunt, ubi occasio accesserit: Qua-
 lia sunt AER, ANIMI PATHEMAT, ira, terror, metus,
 quibus mediantibus IMAGINATIO humores & spiritus
 movere, agitare & malignè disponere potest. Motus cor-
 poris intempestivi, SOMNUS & Vigiliæ, immoderata:
 EXCRETA & Retenta humorum per sudorem, urinam,
 hæmorrhoides, menstrua, alvum, semen, modum exce-
 dentia. FORIS INCIDENTIA & occurrentia, Balnea, pu-
 trida, venenata & similia, calida, frigida, humida, sicca,
 adstringentia & c. quæ omnia, vel calorem cum humidita-
 te nativa evocando & debilitando, vel transpirationem
 corporis & ventilationem humorum prohibendo, laten-
 tes dispositiones causarum antecedentium facile in actum
 ducunt. III. PRÆTERNATURALES sunt, partium co-
 ctioni destinatarum debilitates & vitia, vel manifestarum
 vel occultarum qualitatum, quæ ob alimenta etiam bona
 vel corrumpuntur, vel similibus qualitatibus imprægnan-
 tur, cacoehymia, cachexia, febres ephemeræ, unde etiam
 corpus liberè non ventilatur; sed acres ac calidæ fuligi-
 nes retentæ, humores accendunt, & humido cum calore
 proprio evaporante, putrescunt; abscessus, inflammatio-
 nes, dolores humores attrahentes, per accidens, qui ob
 copiam non perflati putrescunt, vel vaporibus sanguinem
 & spiritus inquinant. De his omnibus potest videri *Gal.*
præcipue l. de inæq. intemp. 2. de caus. morb. de diff. sympt. 1. de diff.
febr. de cib. bon. & mal. succi. 11. m. m. alim. facult.

DIFFERENTIÆ I. RATIONE GENERIS, sunt a-
 liæ perniciosiores sæviores calidiores, aliæ mitiores ac mi-

nus perniciosæ: quæq; in suo genere, & prout magis putredo, magis malignitas vel utrumq; excellit. Malignitas tamen formales hic constituit differentias. Hinc Chirici malignitates has vel animalium, vel plantarum, vel mineralium, ob similitudinem symptomatum, quæ utrobique conspiciuntur, venena imitari statuunt: cum enim essentielles differentias constituere difficile sit, potissimæ ex symptomatibus, per quæ malignitas se prodit, desumuntur. Hæc cum sint variæ, variæ etiam dantur febrium pestilentium, & malignarum differentiæ, petiulares, cum variolis, morbillis, hungariæ, castrenses, pleuriticiæ, anginosæ, catarrhales, dysentericiæ, semitertianæ, prout natura veneni cum hac vel illa parte antipathiam peculiarem habet, & eò devolvitur.

II. RATIONE SUBJECTI, à quo differentiæ accidentium, præcipuè si modus & causa inherentiæ addatur, petuntur, sunt vel humorales, vel hæctici, vel ephemeræ. sumitur autem subjectum hic late, prout humores & spiritus inter partes corporis humani viventes referuntur. Hæc etiam referri possunt, quod intermittentes aliæ sunt, aliæ continuæ, à loco subsistendi.

III. RATIONE CAUSARUM tot sunt, quot ipsæ; aliæ magis aliæ minus contagiosæ, aliæ epidemiæ, aliæ sporadicæ ab aëre, victu, humoribus.

SIGNA DIAGNOSTICA I. RATIONE GENERIS constituit syndrome symptomatum; siquidem, ut in Peste, vix datur unicum & simplex Pathognomonicum. Præsertim autem sæpius benigniores febres simulant, nec æger quod valde molester sensibiliter, referre potest, donec de vita & viribus actum sit: Nihilominus, omnia symptomata sunt vehementia & pejora, quam in aliis febribus, ut illa præ febre majore periculum minentur; facultas enim, quam vitalem vocant, præcipuè laborat. Nam quoad ACTIONES LÆSAS, licet respectivè calor mitis appareat externè, (interdum enim interiora quæri videntur,) nec alia debilitantia præcesserint manifesta, insigniores tamè ad sunt virium debilitates, anxietates, inquietudines. PULSUS fiunt

fiunt languidi, parvi, frequentes & inæquales, & licet interdum in media pugna naturæ & causæ morbificæ, sint magni, celeres, etiam intercidentes; interdum etiam naturalibus similes *Gal. 3. Præf. Puls. 3.* maximè in principio, alia tamen sunt valdè p. n. mutata; neq; pulsus naturalis cum malis symptomatibus diu consistere potest; membra enim quasi contracta & conquassata putantur, à levi occasione suboritur lipothimia, inappetentia nimia. Sopores etiam vel contra vigiliæ, statim à principio excedentes, somnus etiam variis absurdis turbatur imaginationibus; unde deliria, sensus externi depravantur, imminuuntur, memoria debilitatur, tremores & convulsiones adsunt. **EXCRETA** naturalibus valdè dissimilia, narium stillicidia, vel aliæ hæmorrhagiæ, in principio cum debilitatibus; vermes modò per alvum modò os prorumpentes; maculæ, pustulæ, ulcera, profunda sæpè & carnem quasi exedentia, tumores; à sudoribus, excretionibus, etiam cum signis manifestis coctionis, nihil levaminis vel parum. **URINÆ** sæpè sanorum similes, cum aliis gravibus symptomatib. (præcipuum malignitatis signum) vel ob levem putredinem humorum, vel naturæ debilitatem, vel materiæ ad ambitum corporis motum; sæpè etiam dissimillimæ, tenues, crudæ, cum sedimento vel nullo, vel crassæ, turbidæ, cum sedimento analogo & excremento potiùs simili. **QUALITATES** valdè præter solitum mutatæ, visu, odore, sapore, similibus, hinc facies ruffa, tetra, vîvido colore & nativo mutata, oculi præsertim, lingvæ siccitas atq; asperitas, interdum cum, interdum sine siti: Et similia alia symptomata, cujusq; febris malignæ & pestilentis, differentiæ propria. Si enim aliquod symptoma adsit, quod speciei alicui februm malignarum proprium est, simul genus denotat, hic non recensendum, quia differentiæ specificæ speciei, non generi sint accommodandæ *Arist. 1. Post.* Variant autem symptomata pro ratione malignitatis & febris, unde gradus veneni determinantur. Si enim malignitas sit summa, manendo tamen in terminis, cum æquali putredine, summæ virium oriuntur debilitates, & symptomata februm gravissima, præsertim calor intensi-

sisimus *Autor defin. Med.* Si putredo non magna, malignitas verò vehemens, mitia sunt febris symptomata, sed virium magna dejectio. Si exigua putredo, maxima verò malignitas, pesti proximè accedit, adest summa virium debilitas, sine siti, vel aliis manifestis signis putredinis, ægriq; sine morbo mori se conqueruntur. Si contra putredo sit summa, malignitas verò remissior, cum gravibus symptomatis virtus sibi melius constat; calor acris & reliqua symptomata humorum affectorum. Non autem necessarium est, ut hæc omnia signa in singulis appareant, sed nunc hæc nunc illa, nunc plura nunc pauciora conspiciuntur pro ratione subjectorum & veneni:

II. RATIONE SUBJECTI I. SPIRITUUM magis affectorum; sine enim spirituum affectionib; humores non incalescunt aut vitiantur, magna & subita virium imbecillitas, lassitudo; vires interdum recolligi videntur, mox tamen denuò cōcidunt, ægri frequenter fiunt syncoptici atq; inopinatò moriuntur, calor febrilis non adeò mordax, & brevi vel ad salutem vel mortem terminatur. Pulsus imbecilles, deficientes, inordinati, urinæ claræ ferè similes sanis, non adsunt excretiones nec signa putredinis. II. HUMORUM, adsunt capitis aliarumq; partium dolores, vigilie, deliria, comata, inquietudines, calor acris, anhelitus, expirations magnæ & frequentes; Pulsus magni celeres frequentes, compressi, pro ratione usus & facultatis, cardialgiæ, sitis magnæ inexhaustæ. Urinæ crassæ, turbatæ, tennes etiam & crudæ, vel ob debilitatem naturæ, vel summam humorum conturbationem, cum sedimento etiam crasso, rubro, multo, turbido: bubones, carbunculi, parotides, pustulæ, tumores, exanthemata, circa dorsum, collum, artus, emunctoria cerebri, cordis, epatis; lingua referta humoribus, vel arida aspera: os siccum, amarum: alvi fluxus copiosi, vomitus, hæmorrhagiæ, sudores atq; aliæ excretiones humorum putridorum valdè mutatæ, copiosæ, & similia ex Tract. de febribus petenda. III. CORDIS, calor vix sensibilis vel tamen internus, æqualis, magnus v. virium debilitas cum pulsu debili, æquali nec celeri, nec frequenti, hecticis analogo; Urina & Excreta sana.

III. RATIONE CAUSARUM somuntur ex antecedentibus & consequentibus, internis vel externis, malignitatis & putredinis, juvantibus & lædentibus.

PROGNOSTICA, si ullibi in acutis, hic sunt incerta, atq; multoties salvatur aliquis sine spe: contra interdum ægri in statu convalescentiæ versari videntur, cum maximè oppugnantur, & morbus post levem remissionem celerius & vehementius exacerbatur, quapropter uni signo non fidendum, *Hippocr. 3. Progn. t. 35.* non tamen solum pluralitas attendenda, cum sæpè unum forte plus valeat significando, quam multa debilia; sed dignitas, quæ autem naturæ maximè aut plurimum similia, salutaria, quæ dissimilia, lethalia. Sunt autem triplicia.

R. SALUTIS & MORTIS petuntur I. A GENERE, malignæ in specie sic dictæ, sunt salubriores pestilentibus, & in quibus putredo prævalet malignitate, cæteris paribus; intermittentes continuis; meliusq; de salute sperandum; si sint mitiora symptomata, medicamenta profint, & vires robustæ. Indicant autem vires, actiones naturales plures vel nobiliores minus læsæ. Excretiones substantia, quantitate, qualitate non multum mutatæ, aut criticè cum ægri virib9, signis coctionis, morbi & symptomatum levamine factæ. Qualitates corporis naturalib9 non multum dissimiles, planè enim nihil mutari etiam malum 2. *aph. 28.*

MALUM contra præsagunt, deliria continua, sopor, somnus morbum non levans, inquietus, terroribus plenus, ore hiantes, oculis apertis, convulsis, sine præcedente evacuatione, vigiliis &c. vigilie continuæ, tinnitus aurium perpetuus, tremores, convulsiones partium vel multarum, vel cerebro vicinarum, storpor, (semper malus) jectigatio corporis & membrorum, denudatio, devolutio ad pedes, dolores partium nobiliorum vel ignobiliorum, sine abscessu aut excretionem remittentes, vel contra, nec medicamentis nec excretionibus remittentes. Pulsus languidus, tardus, rarus, parvus, respiratio difficilis, frequens, alta, sublimis, scapulis simul motis, cum stertore, spiritus parvus, obscurus, densus, frigidus, (pessima) anxietates, syncopes, palpitatio.

tationes cordis, appetitus nimium dejecto, sit is in exhausta, vel nulla cum calore intenso, lingvæ nigredine, asperitate, siccitate. EXCRETIONES, sive arte sive sponte factæ, potius morbum augentes, fœtidæ, lividæ, æruginosæ, variæ, sive per alvum vel vomitum, sinceræ; sudores pauci, inordinati, fœtidi, frigidi, inæquales; stillicidia sanguinis vel etiam fluxus per varias partes, ob materiæ pravitatem, vel naturæ debilitatem; bubones, carbunculi, in principio mox apparentes, cū dolore & inflammatione magna, justò majores vel minores, recedentes; communis enim secundum *Gal. com. 4. aph. 47.* in omnibus ratio est, malas evacuationes affectionum pravarum signa exsistere. URINA cruenta, fœtida, livida, nigra, pustulæ & maculæ nigra, violaceæ, latæ; Facies horrida, Hippocratica 1. *Progn.* oculi splendentes, vel vivido colore orbat, convulsi, lachrymantes, fœtor putridus, cadaverosus, sapor putridus omnium assumptorum, extrema frigida cum vigiliis vel somno nimio, & similia alia apparentia sine signis coctionis, nec tempore criseos, cum morbi augmento, virium decremento, in primis non respondent excretionibus morbi naturæ; quæ passim videri possunt, apud *Hipp. in aph. coac. prorrh. progn. epid. Gal. in comm.*

II. A SUBJECTO, Partes nobiliores & digniores affectæ morbum periculosiorem arguunt, atq; majus periculum minantur ephemeræ & hæcticæ, quam putridæ, in genere.

III. A CAUSIS, periculosiores sunt in genere, cæteris paribus, contagiosæ non contagiosis, ex aëre & causa communi, privatis, & prout huic vel illi humori accidunt.

II. DURATIONIS tempus non est æquale, & pro more acutorum, ratione, subjectorum, causarum & accidentium, nunc citius, nunc tardius, die 4, 7, 14, 20, finiuntur: citiusq; in genere pestilentes malignis, continuæ intermittentibus, ephemeræ & hæcticæ putridis, ob subjecti affecti dignitatem, nisi ultra terminum acutorum protrahantur, & in chronicos per accidens, aliis intervenientibus, degenerent, terminantur.

III. EVENTUS MODUS 1. est ad interitum, spiritibus & humoribus corruptis & viribus dejectis. 2. Ad salutem,

tem, vel integrè & perfectè, natura robusta, materiam obsequentem, iusta quantitate, loco & tempore è corpore excernente, per vomitus, alvi dejectiones, sudores, urinam, hæmorrhagiam; vel imperfectè, translata materiâ ad partes vel internas, pleuram, viscera, quod malum; vel externas, emunctoria capitis, cordis, hepatis, artus; unde abscessus, ulcera *δυσπύλωτα* sæpè; vel visceribus debilitatis graves morbi. Et tantùm de ipsarum naturis.

CURATIONEM quod attinet, siquidem duplex in morbis epidemiis Medico incumbit officium, sanorum, nimirum præservatio, ne iis inficiantur, & ægrorum curatio, ut iis liberentur; febres autem pestilentes & malignæ facilè primas teneant, atq; inopinato in Pestem degenerent, utrumq; sedulò est peragendum.

Absolvitur autem PRÆSERVATIO præcipuè malignitatis & causarum antecedentium, morbum facturarû, quantum possibile, remotione.

PRÏUS fiet 1. Si corpora ad suscipienda venena minus apta, resistenda autem apta efficiantur, quod sola præstant ALEXIPHARMACA, quantitate, tempore & modo iusto assumpta: nunc fortiora, nunc debiliora, nunc calidiora, nunc frigidiora, pro ratione temperamentorum, constitutionum aëris & similium permittentiû: talia sunt, quæ in curatione determinabûtur, quæq; minori dosi præservant, majori & dupla plerumq; curant. Laudatur tamen peculiariter Elixir propriet. Parac; Pestilentielle Crollii; balsam. Sulph; quod tamen gravidis interdicitur. 2. Si aëris vitium corrigatur, & venenum impugnetur, quod præstant odoriamenta, linimenta, poma ambraë, Balsama, acetabezoardica, candelæ pro fumo & similia, parata ex benzoë, styrace calamita, radice irid. florenti. rosis, ligno aloës, corticib. citri, aurantiorum, santalis, caryophyllis, camphora, ambra, moscho, Zibetho; in foeminis suffocatione uteri laborantib. castoreo, galbano, ruta, oleis destillatis citri, angelicæ, macis, cinamomi, succini, lauri resina, pulvere pyrio; foliis rutæ, absinthii, quercus, juniperi, earum lignis &c.

POSTERIUS fiet 1. Si corpora maturè ab humorib;

C

excre-

excrementitiis evacuentur, ne alexipharmacorum vis hebetetur, aut malignitas faciliè radices agat. Sint autem talia leniora, ne corpus temerè debilitetur; Pilulæ de tribus Pestilenciales vulgò, semel vel bis in septimana, hora una atq; altera ante cibum. Quibus verò aloëtica & myrrha non competunt, ut senibus, gravidis, hæmorrhoidibus laborantibus, (nisi earum fluxus exspectatur,) vel hepate calidiori præditis profunt Syr. & succ. rosar. solut. rhabarb. agarius, senna, pro ratione humorum peccantium, ætatis, sexus, forma vel solida vel liquida. Infantibus passulæ laxativæ cum cremore Tartari, vel rotulæ sunt idoneæ. Corpore mundato, sanguinis imminutiones, si indicentur, per venæsectionem, cucurbitulas & consuetas evacuationes non omittantur. Fiant autem in constitutionibus epidemiis, præsertim aëris, venæsectiones & purgationes mitiores & pauciores, si suffecturæ videantur, ne vires magis dissipentur. 2. Corpora mundata munda servanda BONA DIÆTA, cibo nimirum & potu salubriori, etiam alexipharmacis & acidis condito, pro cuiusq; consuetudine; nec enim temerè victus, nisi malignitati & putredini fomitem præbeat subito mutandus, Hipp. 2. aph. 50. & 51. Omnes tamen excessus in animi pathematis, corporis motu, excretis & retentis, vigiliis, somno, vitentur.

CURATIO ipsa, malignitatem & causas antecedentes actu febres producentes, aufert. Nititur autem INDICATIONIBUS à causis, morbo, symptomatis & viribus desumptis. Quamvis autem in genere certò determinari nequeat; siquidem utiliores indicationes sunt specificæ, & propter earundem complicationem sibi invicem adversantium, morborum, causarum & symptomatum, non semper omnia, quæ indicantur, exsequi simpliciter licet; imò quæ uno in statu profuerunt, in alio parum auxilii afferunt: quia tamen in genere conveniunt, hac ratione in artem redigi potest curatio.

Cum ergò in omnibus hisce febribus duo indicent, MALIGNITAS & PUTREDO, VIRES autem, sine quibus nec sani esse possumus, sint conservandæ, atq; URGENS, inducias non dans, removendum; cavendum, ne,
dum

dum per alexipharmaca, quæ plerumque calidiora, malignitatis amotio tentatur, febris augeatur, aut contra, dum febris curatur, malignitas invalescat, humoribus magis permisceatur, & vires interea prosternantur. Ei quapropter, à quo majus periculum imminet, ita obviandum, ne & alterum negligatur, vel augeatur: nimirum vel medicamenta contraria inter se miscenda, & temperata in qualitatibus exhibenda, vel impermixta modò huic modò illi, & sua cuiq; adhibenda. Hippocr. igitur monitum. 1. aph. 16. hic observandum, neq; semper cum Erasistrato à parvis auxiliis incipiendum, quod taxat Galen. 5. m. m. 15. sed veneno efficaciori & præsentì, efficaciora & præsentissima, febre quasi neglecta, sunt opponenda, ne damnum irreparabile inde oriatur; cum illud, quod ex alexipharmacis provenit, tantùm non sit plerumq; , quin contrariis resciri possit: melius igitur est ægrum lædere, quam permittere ut moriatur, 12. m. m. 1. Sit ergò P O S I T I O I. In febribus tum pestilentibus tum malignis, in specie à C O N T A G I O vel A E R I S constitutione maligna ortis, majus à veneno quam putredine imminet periculum; quapropter statim, siue cum levi horrore, dolore, lassitudine, vel alio consveto modo invaserit, alvo aperta, venenũ per ALEXIPHARMACA & SUDORIFERA è corpore quovismodo, etiam fomentis, expellendum. Hinc Senn. sibi compertum esse scribit, sæpè febres, quæ primò continuæ fuerint, & malignitatis suspicionem præbuerint, levis sudoriferi & bezoardici usu, in benignas & intermittentes mutatas fuisse, veneno nimirum discusso, antequam sese penitiùs humoribus insinuaret. Sublato autem vel maximùm, vel planè veneno, quod vires auctæ & symptomata mitigata patefacient, per purgantia & venæsectionem, si requirantur, feбри resistendum, malignitate, non planè neglecta, ne parvæ reliquæ vires resumant. II. In P E S T I L E N T I B U S in specie à C A C O C H Y M I A ortis, si humores vitiosi, quos corporis etiam constitutio & victus antegressus arguet, in P R I M I S viis, ventriculo, intestinis, præcordiis, nausea, cardialgia, æstu, amarore, angore, lipothymia, doloribus capitis & similibus molesti sint, ita, ut sæpè sponte cum

ἐν Φοβῷ à natura excludantur, quamprimùm pro constitutione corporis & inclinatione humoris, per VOMITUM, CLYSTER vel PURGANS lenè, quod humores reliquos in venis non agitet, sunt educendi. Licet enim malignitas, qua talis & per se, vomitoria & purgantia non requiratur: Quia tamen cacoehymia primarum viarum ipsi fomitem præbet, febrem auget, & æger non minus ob istam in primis viis, quam venis contentam periclitatur, ipsâ nisi sublata, nihil cum fructu tentari, nec malignitas obrundi quit, sed assumpta corrumpit, calore febrili & sudoriferis agitata, in penitiora corporis rapitur, humoribus magis miscetur, morbumq; auget. Nec enim purgantia hic exhibentur, ut humores è venis majoribus evacuet aut agitet, sed è primis viis. Post hæc mox, nisi aliud urgeat, per ALEXIPHARMACA & SUDORIFERA varia, (plerumq; enim, specifica ignorantur,) eaq; si sufficiant, temperatiora, ob febrem calidiorem adjunctam, Venenum omnibus modis expellendum, extrahendum, vires roborandæ, febris resistendum, & reliquis symptomatibus prospiciendum.

Si tamen sanguis copia vires opprimat, vasa distendat, vel motu peccet, ut irruptio in partem principem vel metuat, vel actu adfit, vel in ignobili hærens copiosus, partem distendat, intolerabili dolore afficiat, ut nimia inflammatio & putredo metuat, VENÆSECTIO tanta, quantum vires ferunt, instituenda, eaq; parcior, aut CUCURBITULÆ, viribus jam debilioribus, sanguinis tamen vitio fortiter indicante, & morbo jam dum ad augmentum properante, venæsectionis vicem obeant. Fiat autem venæsectio, antequam vires collabantur, malignitas totam massam sanguineam inficiat, & omnia in corpore turbentur; quod citò fieri solet. Altero ergò vel tertio die elapso, & viribus laborantibus, tutius omittitur venæsectio; utpote, quam per se malignitas non indicat: sed Alexipharmacis sudoriferis negotium peragendum, nec ab iis virium debilitas metuenda: cum enim à venenata malignitate opprimantur, tantum abest, ut posteaquam per sudores venenum expellitur, vires debilitentur; ut etiam post sudores, veneno discusso, plerumq; reddantur fortiores.

III. In MALIGNIS in specie à CACOCHYMIA or-
tis, iisq; CONTINUIS, veneni tanta non est vehementia,
atq; à febre majus imminet periculum. Quapropter non
tantum PRIMARUM VIARUM EVACUATIO, sed &
VENÆSECTIO, & CUCURBITULÆ, præsentibus in-
dicantibus, & absentibus prohibentibus dignioribus, lo-
cum habent; neq; adeò, nisi malignitas sit major & vehe-
mens, ad sudorifera sola properandum. Fiat tamen venæ-
sectio etiam ante quartum diem, nisi principium longius
protrahatur. Evacuatio etiam fiat pro humorum qualitate,
copia, & constitutione corporis, nec omninò seligente
pharmaco, ne plus quam par est trahatur, siquidem aliàs fa-
cile dianthoæ periculosa sequuntur: nec etiam omninò
levi, ut materiam non tantum moveat, sed & emoveat. A
fortioribus autem purgationibus & purgantibus, nisi ma-
teria turgat, aut periculum purgatione averti possit, absti-
nendum. *Hipp. 1. aph. 22. 24. Gal. in com.* SUDORIFERA ta-
men & Alexipharmaca malignitati opponenda, eaq; tem-
peratiora & mitiora, ne saltem humores tenuiores, crassio-
ribus relictis, discutiantur, vires deiciantur & crudi ma-
gis exacerbentur. Quibus admisceantur contra febrem &
putridos humores, alterantia, præparantia, aperientia, in-
cidentia, attenuantia, quæ corpus simul ad *Ἀπορροήν*,
in omnibus febribus, & præsertim malignis, utilissimam,
disponunt, atq; expulsionem humorum promovent; re-
frigerantia, abstergentia & corrupta separantia. Quales fa-
cultates multas unum sæpè medicamentum possidet ale-
xipharmacum, quod eò magis expetendum. Humoribus
coctis & præparatis, si natura eos criticè expellat, justo lo-
co, quantitate, modo & tempore, cum *Hipp. 1. aph. 20. εἴη*.
Si contra vel sponte nō expellat, vel eo modo & sufficien-
ter, quo decet, neq; adsint signa talis expulsionis, metuen-
dumq; ne morbus recidat, *2. aph. 12. defectū* Medicus sup-
plere debet per PURGANTIA, SUDORIFERA, DIURE-
TICA, & similia, pro humorum vergentia, citius, tardius,
semel vel partitis vicibus, pro eorundem qualitate, quan-
titate, loco, motu.

IV. In MALIGNIS INTERMITTENTIBUS & cū

PARTIS alicujus morbis, MIXTA curatio competit, & quis humor vitiosus in corpore, qui malignitatis fomes, & quo loco hæreat, videndum, isq; convenienti modo, vel venæsectione, vel purgatione, pro ratione indicantium & permittentium, educendus. Deinde malignitati resistendum, febris alteranda, & parti affectæ prospiciendum.

MATERIÆ INDICATORUM sumuntur ex FONTIBUS usitatis I. CHIRURGICO. VENÆSECTIO Basilicæ, medianæ, venarum in pedibus, (quæ præsertim in foeminis, non tamen gravidis, & si vires sunt jam dum debiliores, laudantur,) prout dolor, parotides vel bubones circa axillas vel inguina apparent, pro ratione, revulsio- nis, derivationis, refrigerationis, conducit.

CUCURBITULÆ sanguinem tenuiorem, ichoro- sum, & simul vapores malignos evacuant, revellunt, deri- vant. Unde etiam commodissimè partibus inferioribus & cruribus applicantur, exceptis gravidis, in quibus superio- ribus & brachiis applicatæ, minus nocent.

VESICANTIA specialiter laudantur, quod materiam venenatam ad partem vel nobilem, caput præsertim & in- teriora (hinc ardor interiora occupat, extrema v. algent & cutis est frigida) vel ignobilem & exteriora, emuncto- ria, art9, sive ruentem sive hærentem, citò, tutò, citraq; ma- jorem molestiam attrahant, derivent, evacuent, revellant, pro ratione scopi, naturæ & humorum vergentia, cervici, carpis manuum, brachiis, crurib9, locis affectis applicata. Universalia tamen sint præmissa, materia aliqua ex parte imminuta, digesta, non adeò difficulter separabilis, vires non prostratæ, nec critica aliqua evacuatio, nisi & illa pro- moveri possit, præsens vel futura sit. Unde die critico non adeò conveniunt. Materia, inter multa, sunt Cantharides, sinapi, nasturtium, ruta, apium, ranunculus, euphorbium, rad. scillæ assat. vel allium, cæpa theriaca repleta sub cine- ribus cocta, & similia, cum sale, fermento, aceto, (quod quidam improbant ob vim figendi) albumine ovi, melle, anacard. terebinthina, sapone, in formam emplastrorum, vel cataplasmatum redacta.

II. PHARMACEUTICO. ALEXIPHARMACA & Su-

DORIFERA *μιάσμα* malignum & putredinale discutien-
tia, corque in expellendo juvantia, sunt acetosa, acetosel-
la, dictamnus creticus & albus, calendula, chamædrys, ru-
ta; valerianæ radix, petasitidis, bistortæ, pentaphylli, he-
lenii, angelicæ, scorzonæræ, contrahervæ, zedoariæ; bac-
cæ juniperi; semen citri, acetosæ, ocymî; bolus armenus,
terra sigillata, lapis bezoar, cornu C. os de corde C. cam-
phora, Margaritæ, unicornu animale & minerale, Sma-
ragdus, Saphyrus: quorum quædam si sint frigida & sicca,
aut obstruentia, admiscenda quæ penetrant, aperiunt &
expulsionem humorum promovent; carduus bened. scor-
dium, scabiosa, morsus Diaboli, angelica, pimpinella, ols-
nium. Ex his componuntur, Aquæ & Spiritus, valde cō-
ducibiles, penetrantes, Elixiria, Electuaria, Extracta, Ace-
ta, Essentiæ, pulveres, rob, succi, similia, ubivis obvia. In
specie laudantur Aq. cordialis Herc. Saxon. Aq. Theriac.
Raym. Minder. & Augustan. eorundum acetum Theriac.
Elixir pestilentielle Crollii, cum aceto rosaceo, scordii vel
rutaceo exhibitum, mistura simplex, spir. CC. Diascord.
Fracast. Antidotus Guidonis vulgò Papæ, cordialis Bani-
sterii, antimon. diaphor. bezoard. miner. cum & sine Sol.
rob. sambuci. Mithridatium, Theriaca, Elect. de ovo & si-
milis. Calidiora, ob summam vim agendi & caliditatem, vel
cum aceto, acidis & frigidis exhibeantur, vel cum iis extra-
hantur, vel temperatiora substituantur, præcipuè in tem-
peramentis & constitutionibus aëris calidioribus. Qua-
propter infantibus, pueris, puerperis, gravidis, & quibus
spiritus & humores facile magis incalescunt, & alia gra-
viora symptomata accersunt, cōveniunt parata extormen-
till. scord. acetos. CC. lapide bezoar. margar. & corall. so-
lutionibus, bolo armeno, terra sigill. semine carduiben. ci-
tri, cum saccharo in rotulas, morsulos & confectiones re-
ducta; confect. liberant. Diascord. Fracast. pulv. rubeus
Pannon. August. Huc referri possunt, inter **EXTERNÆ**,
fomenta calida, axillis, inguinibus, cordi, carpis, capiti,
plantis pedum, toti corpori adhibita, vel sicca, sacculi re-
pleti herbis cardiacis, alexipharmacis, regulæ pannis in-
volutæ, lagenæ, linteamina, vesicæ liquore impletæ cali-
do;

do; vel humida, aq. dulci, bezoard. aceto, vino. **INUNCTIONES** calidæ cum ol. scorpion. simpl. & comp. Matth. Theriaca, ol. citri, myrrhæ &c. **VOMITORIA** in materia biliosa & calida, decoctum hordei, cum ol. comm. vel amygd: in crassiori, pituitosa, ubi incisione & aliquâ præparatione humorû opus, oxymel s. & C. cum jure pulli, vel decocto sem. raphan. ejus radice, atriplicis, flor. genist. hydromel: in mixta materia syr. acetos. cû decocto hordei vel anethi. Chimiçi laudant Vitr. Sal. & antimon. cum jusculo vel liquore vomitorio. Quibus tamen, cautè utendum. commodior asafetida radix, fortius tamen medicamentum.

EVACUANTIA, quorû quæ magis laxant, in principio febrium; quæ electivè purgant, in fine adhibentur, licet & in constitutionibus fortioribus loco lenientium; sunt in biliosis & tenuibus humoribus, Syr. ros. & viol. sol. pulpa tamarind, tryphera persica, diaprunum simpl. & compos. rhabarb. & myrobalani in substantiâ, si fluxus alvi metuatur. Syr. rhab. solut. August. laudatur præcipuè agaricus; in melancholico humore admisto, Senna, elect. diacatholi. si corpora sint robustiora, stimuli loco adduntur, elect. de prunis comp. laxativ. ros. Mes. de succo ros. de psyll. Tartarea *Haremanno* sunt universalia; Fortiora, antimonialia, de colocynthide, scammonio, sola vitanda. Atq; ex his possunt fieri Boli, ad leniendum apti, Electuaria, Potiones, decocta, infusa, pilulæ; præcipuè laudant serum lactis caprini cum manna, quod in venas distributum, sanguinis fervorem mitiget, ad sudorem disponat, mannâ corrigat, & simul leniat.

CLYSTERES fiant è malva, althæa, violaria, parietaria, hordeo &c. cum ol. comm. vel viol. cui stimula possunt addi, mel. ros. elect. lenit. diacathol. hiera, & in majori materiæ visciditate vel crassitie, abstergentia, beta, mercurialis, furfur, saccharum rubrum.

ALTERANTIA passim describuntur humoribus competentia: hic eligantur, quæ simul malignitati resistunt. Talia inter plurima sunt succus citri, granatorum, oxymel, oxy. sacchara, syr. acetos. citri, succus limonum, santalum, ros. rubr. CC. decoctum, utilissimum, spiritus vitrioli, nisi affectus ab acris humoribus pulmonum, senium, tabes & maci-

macilentia obftet, valdè cōducibilis, nitrum, decoctū hordei, succo rubi Idæi, berber. ribium, serum lactis cum emulsiōe sem. 4. frig. napi, citri, acetos. carduiben. & saccharo. Ex quibus fiant pro palato ægri Julebi, decocta, Electuaria, syrapi, conservæ, succi, aceta; duplex enim robur & admirandum simul auxilium exhibet id, quod etiā naturæ ob jucunditatem gratum existit *Aëtius tetrab. 2. serm. 1. c. 132.*

ROBORANTIA & CORDIALIA per accidens veneno repugnantia, tam interna quam externa, parantur è fl. buglossæ, borrag. rosar. viol. tunicis, citro, granatis, croco, cinamomo, caryoph. moscho, ambra, zibetho, coralliis, spec. de hyacintho, de gemm. diamarg. fr. cordial. temper. lætitiz Gal. Rhafis, confect. alcherm. cordial. Alexand. Benedict. diatrion. santal. diarrhod. abbat. conserv. ros. viol. manib. Christi perlat. item conducunt morsuli de succo & cortic. citri, rotulæ è succo ribium vel berber. Extract. cord. f. aqua pro epithem. cordis Norimberg.

OBSERVANDUM autem 1. Alexipharmaca hæc alterantia & roborantia toto morbi tempore, sæpius etiā pro ratione malignitatis uno die exhiberi deberi, donec venenū sufficienter è corpore expellatur: & licet, bis ter vel quater in principio, per uam vel alteram horam, sudores movere sufficiat, alexipharmaca tamen nō planè negligenda; quāvis delectus sit habendus inter fortiora, calidiora, & mitiora, frigidiora, respectu temperamenti, constitutionis anni, sexus, febris &c. 2. In principio & augmento prævaleant alexipharmaca & refrigerantia, instante tempore purgationis vel criseos, mediocriter aperientia, incidentia, attenuantia, detergentia, quæ plures etiam humores respiciant, ut oxymel comp. syr. acetos. f. & comp. mel ros. syr. de beton. de endivia comp. de scordio, de 2 rad. de 5 rad. byzantinus, de carduo bened. cum aquis vel decoctis aperientib9, betonic. capill. vener. spir. salis, graminis, agrimon. Quæ simul vias detergent & humorum reliquias vel partem per URINAM ducunt.

De symptomatibus specialiter nihil addim9, ne terminos excedamus: in genere monendum, ne intempestivis a-

odynis, somniferis, sitim sedantibus, alvi fluxus, hæmorrhagias sedantibus, & similibus, motus naturæ impediatur & damnum inferatur.

III. DIÆTETICO, CIBUS & POTUS ut talis consideratus, ad præservationem pertinet: in curatione vero habeat excessum, per quem morbo & causæ morbificæ adversatur. Sint autem cibi *εύχυμοι*, *εύπεπτοι*, carnes pullo-
rum, gallinarum, conditi alexipharmacis, acidi. Si vires langveant, aut ab humorum copia opprimantur, æger nec cibo nec potu onerandus: Si verò dissipentur, sapientius reficiendus iis, quæ in parva quantitate multum nutriunt, neque tamen corpus onerandum; talia sunt ova recentia, ptisana, jucula. Ad sitim laudatur decoctum cornu cervi cum julebo vel syrupo aliquo acetoso, aut spiritus vitrioli q.s. ad gratam aciditatem, cerevisia tenuis, bene cocta & defæcata. vinum, nisi syncope imminet, improbatum; declinante tamen febre *ὀλιγόφορον* conducit. AER licet ratione febris imperetur frigidus & temperatus, quia tamen malignitas faciliè ad interiora corporis penetrare potest, magis convenit calidus, isque svaveolens. Somnus sit moderatus, maximè in principio, ne venenum magis ad interiora serpat; quapropter vitanda hypnotica, nisi aliud magis indicet. Quies ad coctionem tamen summè est utilis, & reliquæ res non naturales legitimè se habentes. Tantum hoc loco de febribus pestilentibus & malignis in genere.

DUBIUM unum vel alterum in tabula quasi, seorsim his includemus.

1. Pestilentia, pestilentialitatis & malignitatis formale in putredine non consistere, nec febrem de ipsius essentia esse, statuimus. Quod multi impugnant. 1. quia eadem quæ putredo efficiat symptomata. 2. omne venenum putrefaciat & corrumpat, vel tamen à putridis foveatur.

CONTRA 1. Pestis SINE febre fuit gravissima; Hippocr. 3. Epid. c. 3. t. 25. 55. Gal. 9. de simpl. m. f. de bolo armeno. *Massaria de Peste, Alexander Benedictus*, & quos allegat Sennertus.

tus. præterquam enim, quod putredo tam subito generari.
 & totas urbes pervadere nequit, *Gal. 3. epid. c. 3. t. 75. nec*
 in urina nec pulsu vehementis, vel certæ putredinis signa
 fuere, quæ tamen requirit idem *11. m. m. 4. 2. Nihil potest*
 causare ultra actum suum adæquatum, qui totam potentiæ
 virtutem implet, etiamsi à forma superiori dirigatur. At-
 qui putredo solùm agit 1. in mista elementata, *4. Meteor. 1.*
11. meth. m. 8. venenum & malignitas, supra sortem ele-
 mentorum elevata, nec ab iis orta, (quod enim est in effe-
 ctu, oportet sit actu in principiis, qui sunt actus eorum,
 quæ sunt *Scal. exerc. 307. f. 20.*) in viventium principia, divi-
 niora elementis *Arist. 2. gen. 3.* (sed omnis actio fit in con-
 traria, sub eodem genere contenta *1. gen. corr. 7.*) 2. Putre-
 do agit manifestè, calore excedente, alteratione prævia,
 sensibili, satis extensè, (nec enim ignis nec nix frigida,
 in tam exigua quantitate jugulant, *Gal. 3. de Temp. 4.*) Mali-
 gnitas & venenum occultè, *Scal. exerc. 218. f. 8. absq; calore*
 sæpè intenso & sensibili *Gal. 3. de Cris. 4. 9. simpl. m. f. vche-*
 mentiâ momentanea, deleteria, mole minima, facultate
 maxima, *3. loc. aff. c. 7. 6. loc. aff. 5. 1. de sem. 16.* at operationes
 diversæ essentialiter, diversas arguunt res. 3. Putredo ma-
 nifestis, refrigerantibus, aperientibus, siccantibus, cura-
 tur: malignitas alexipharmacis & occultis, quæ manifestè
 calefaciunt, obstruunt & similibus feбри opitulari viden-
 tur, *5. simpl. med. fac. 1. 19. 6. epid. c. 6. t. 5. 13. m. m. 5. 8. comp.*
med. per loc. 8. comp. med. sec. gen. 16. Nec OBSTAT 1. Distinctio
 putredinis in perfectam, profundissimam, contagiosam,
 indicibilem, massæ totius sanguineæ vel alimentalis por-
 tionis; & imperfectam, aliarum febrium. 1. Si enim per-
 fecta illa, aut quomodocunq; nominetur, intra limites pu-
 tredinis elementaris continetur, pestis, febris pestilentia-
 lis & maligna à reliquis putridis non differet; cum etiam
 in illis tanta sit sæpè humorum corruptio, ut vel sine eva-
 cuatione tamen emendari nequeant, quod etiam fit in salu-
 bribus malignis, vel ægrum jugulent: nec different à Sy-
 nocha, phthisi, gangræna, ulceribus sordidissimis. Si ve-
 rò limites putredinis elementaris excedit, vel cum viris

doctissimis & Hipp. το θῆον agnoscunt, cum ipse *Gal. l. 6.* per insignem putredinem venenatam qualitatem innuat, vel explicatione opus habet. 2. Si in illâ distinctione consistet formale malignitatis, morbus malignus & magnus non different, contra *Gal. l. 6. Cris. & communem sententiam.*

Nec obstat 2. venenum & malignitatem oriri ex putredine humorum, in cordis sinibus vel substantia; putridas extra eas. 1. nam & pericardium putridum, & ipsius substantiæ cordis ulcera & apostemata, non pestilentes sed diuturnos induxerunt morbos, si *Guilh. Fabritio c. 2. obs. 27.* & quos allegat *Schenck. l. 2. obs.* fides est. 2. Si focus putredinis esset ipsum cor, calor vehementior in totum corpus dispersus semper perciperetur, quod experientiæ non respondere, supra dictum. 3. Perpendendum etiam, cum cor sit præcipuum omnium febrium subiectum, annon etiam in putridis continuis, contenta in cordis sinibus putrescere possint; quod innuere videtur *Gal. 1. diff. febr. 1. 3. Prasag. Puls. 3.* nam quæ ex *Arist. 3. Part. 4.* proferuntur, ipsemet solvere videtur.

3. Qui venenum latere in parte ignobili & à corde remota, atq; ibi licet putrescat, nullis sese notis prodere nec molestare, motum verò adeò nocere, statuunt; ex effectu probant causam, quorum utrumq; non est.

Ex his patere putamus, per putredinem vulgarem & elementarem, nec generari, nec agere aut constitui venenum pestilentiale & malignum, (idem esto iudicium de contagio ipsius,) sed per aliquod seminium, & subiectum, specificum & suæ naturæ proprium edens effectum, quo adeò hominem per se & proximè lædit: putredinem tamen calorem suppeditando, & vim seminalem excitando, instrumentaliter concurrere, non negandum.

Pro argumentorum solutione NOTANDUM I. Cum malignitate & pestilentialitate plerumq; imò semper ferè conjungi putredinem, sed non ut cum constituyente & essentia sua, nec universaliter, *Saxon. Senn. Massar.* cum venenum, pro materiali & subiecto inadæquato, etiam ele-
men-

menta agnoscat, quæ in misto perire non probabile, & quorum propria affectio est putredo. Quia autem putredo, malignitati conjuncta, solitariè & per se, tantam vim hominem subitò vel jugulandi, vel in discrimen adducendi, non habet; malignitati tanta pernicies meritò adscribenda: ubi enim plura ordinantur ad unam actionem, oportet tandem devenire ad ultimum, quod eam primariò facit, ut *celeberrimus Medicorum Germanorum Cassp. Hoffmannus Professor Altorphinus* in suis aureis scriptis sæpè urget.

2. Omne venenum quidem calidum nativum, proximum animæ instrumentum, corrumpendo & destruendo, etiam qualitatuum elementarium proportionem turbare, à quo conservatur ut primario agente: verùm secundariò; cum misto elementari sæpè nullam, vel exiguam inducat alterationem. Sordida etiam & foetida fovere venena per accidens: atqui adjunctum à suo subjecto differt. multi enim sordidissimis scatentes humoribus, malignis morbis non laborant, nec omnia foetida & sordida venenata sunt.

3. Differre putredinem à corruptione, ut species à genere: non igitur confundenda esse. sæpius enim fit corruptio in corpore humano, ciborū, potus, nec tamen putredo vocatur. illam ut impugnant, ita hanc propugnant Medici doctissimi.

DEDUCITUR inde 1. Solutio arduæ illius controversiæ. De MODO generationis veneni in corpore humano. Cum enim Galenus plurimis in locis, præcipuè verò 6. loc. aff. 5. 6. epid. c. 2. t. 38. 6. epid. 5. 6. t. 2. in 1. Prorrh. t. 17. de cib. suc. 1. de const. art. 19. humores corruptos in corpore nostro, eosdem planè effectibus proximè & per se edere, quos venena assumpta vel illata; subitò, perniciosè & vehementer agendo, atq; sic venenum in corpore nostro generari statuatur: an hoc semper & per se, (nam aliquando & per accidens fieri, ex dictis cognoscitur) fiat cum humorum putredine, an per occultam & singularem corruptionem, vel potius formam peculiarem, quæsitum est. Posterioris autem Affirmativa, præterquam quod aliquo modo patet, probatur ulterius. 1. ex absentia notarum putredinis,

quæ insignis diu latere nequit: venenum autem sæpè diu in corpore latere potest 6. l. aff. 1. prorrh. 2. 3. Epid. c. 3. agr. 4. Fracastor. l. 2. de morb. contag. 10. alii. 2. venena generantur, tum in calidis & siccis, tum frigidis constitutionibus corporum & aëris, suntq; ipsa calidissima multa & siccissima, quæ omnia putredini adversantur. 3. Animalium & plantarum venena generantur ex naturali constitutione, sine putredine: at talem etiam p. n. in homine dari posse impossibile non est, effectus enim iidem conspiciuntur. Vid. Herc. Saxon. prolixè hæc tractans.

GENERATUR autem in corpore nostro, vel ratione efficientis, vel materiæ. EFFICIENTIS, si à veneno quocunq; modo communicato, maligna aliqua qualitas & dispositio corpori vel parti alicui impressa est, quæ affluentes humores sibi simili dispositione inficit & corrumpit. Exemplum notabile habet Sennertus l. 6. Pract. p. 2. c. 4. MATERIÆ, si cum cibis pravi succi, aut alio modo venenum ingeritur, quod quidem exigua quantitate, benignioribus humoribus admistum, non molestat; auctum tamen vel additione vel multiplicatione, vi formæ qua se propagat, bonos humores inficit, & seorsim existens extremè nocet. Rem sic se habere, facile intelligit, qui Hippocraticas *δυνάμεις τὰς τῶν ζῴων* *τὴν καὶ ἰχθῶς* in de Prisca Medicina, atq; illud de lacte mulieris vel capræ, elaterium comedentis, 6. Epid. c. 5. t. 33. considerarit: cum enim in rerum mutationibus & corruptionibus, forma tantum ultimata, cum determinato suo subiecto, pereat, formis subordinatis & accidentalibus, cum propriis subiectis, integris remanentibus; & homo multis vescatur animalibus & plantis, succis venenatis præditis, ut de aëre taceamus, quorum minima portiuncula, humores in sibi similem naturam mutat, & corpori nocet, Gal. 1. de sem. 16. isti nisi à natura forti expellantur, naturam suam in tot coctionibus servant, & vel copia, vel causa externa occasionem nacti, morbos venenatos inducunt.

DEDUCITUR 2. Quid de eorum opinione sentiendum, qui febres pestilentes & malignas à peste & reliquis putridis, gradibus solummodo & modis putredinis distinguunt; cum tamen eorum essentiam non constituat.

DEDUCITUR 3. morbos malignos & venenatos, esse distinctos à morbis tribus, vulgò notis, non saltem iis modum & conditionem addere. 1. quia modo agunt diverso. 2. modo curantur diverso & peculiari, quod nudo modo & conditioni non competit. 3. qui iis corripiuntur, non necessariò morbo illo intemperiei, conformationis & solutæ unitatis corripiuntur, quo ille, qui eos infecit laborat, licet idem venenum specie accipiant. Galenù enim illa 3. epid. c. 3. t. 20. nō esse certi morbi nomē, vulgare vel pestilens, Negatio, non pestilentis naturæ essentiam, sed accidentia ferit: in hac enim malignitate alia, in aliâ alia apparent symptomata, variantia pro ratione subjectorum & ipsius causæ, quæ tamen formalitatem non planè absolvunt, quod ipse docere videtur l. c. t. 70. Si quis tamen ad morbos intemperiei referre velit, non repugnandum, modò eam extendat ad occultas qualitates, & non nudis elementis inhæreat.

DEDUCITUR 4. à malignitate, quâ tali & per se, non indicari VENÆSECTIONEM. quia 1. nec plethora, nec humorum putredo, nec impetus vel fervor sanguinis, malignitatem constituit: atqui omnis curatio *πρωτον τὸν καὶ πῶτα τὸ ἐναντίον ἔχει*, art med. 89. 2. Vires aliàs periclitantes intempestivè magis labefactari possunt. accuratè ergo observandum, quod habet Sennertus l. 5. Inst. Etsi vires tunc, cum de vena aperienda deliberatio incidit, validæ sint, tamen nisi spes sit, eas in futurum duraturas, vena aperienda non est. Atq; eadem ferè

5. Dissuadent PURGATIONEM. 1. quia nec cacochymia, nec *ὀξύαρπια*, nec cruditas humorum, malignitatem constituit. 2. Purgatio humores magis turbat, venenum iis miscet, naturæ motum, ad ambitum corporis, à corde & inte-

interioribus partibus, venenum pellentis, impedit, imò periculosas diarrhoeas excitat.

Nec obstant 1. pericula eadem à maligna materia, ac turgente imminencia: periculum enim purgatione averti posse non probatum, quod tamen *Hipp. aph. 22.* intendit, *Gal. in com.*

2. Veneno assumpto, vomitoria & purgantia exhiberi; febris enim tum non adest, neq; ea sunt electiva talia, sed potius ad vehiculum & fomitem veneni tollendam in primis viis, exhibentur, quod & nos svademus: mox autè, imò simul alexipharmaca præscribuntur, (ut taceam veneno jam dum in venas penetrato, ea non adhiberi) quibus venena per se curantur.

DEDUCITUR 6. Quid de eorum opinione sentiendum, qui alexipharmaca diaphoretica, in secundo ordine calida, in febrium pestilentium & malignarum initiis rejiciunt, quod 1. putrescentes humores sint calidi, calida febris, quam augendo, calorem nativum planè dissolvant. 2. quod putredo consistat, non in ambitu, sed centro corporis, cui non competant. 3. quod cocta cum *ἑνφopίᾳ*, non cruda, purgentur sensibilibus, quod faciant sudorifera.

NOTANDUM enim 1. Sudorifera alexipharmaca, non adhiberi ratione febris aut cacochymiae, nisi per accidens; sed malignitatis & veneni. 2. Nec probati in quavis febre maligna absolute, sed respectivè, prout magis malignitas, magis febris urget, cum possint temperari.

Hinc ratio 1. nos non ferit: nec. 2. non enim malignitatem constituit putredo. quin potius evertimus; quia malignitatem natura à centro ad circumferentiam pellit, erit imitanda: materiam tamen facile è centro ad circumferentia ferri posse, saltem paralyfis ex colica docet. an verò sudorifera viscera ab humorib; tenuib. purgare nequeant perpendendum relinquimus. 3. Præterquam quod videtur experientiae contradicere, fallit, dum materiae toto genere p. n. coctionem expectandam svadet, quæ, antequam perficietur, hominem jugulabit. Neq; enim eo fine
in

in principio exhibentur, quo post statum; nec eo modo, quo purgantia, totaliter humores vitiosos tollunt; sed sufficit, si *μιάσμα* malignum discutiant: quo peracto, vitiosis humoribus remanentibus, prospiciendum.

II. MOTUS NATURÆ, ut vocantur, in febribus, quales fiunt per alvum, vomitum, hæmorrhagiam, sudorem, petechias, variolas, morbillos, tumores, & similes, non esse turbandos vel cohibitione vel promotione, præcipiunt Medici. Ne ergo peccetur, motus & vires sunt perpendendæ. Faciunt autem tres motus ejusmodi; BONOS & CRITICOS, quibus materia perfectè cocta & victa, die decenti & quantitate expellitur, ægro salutare. SYMPTOMATICOS, quibus materia cruda, in principio, vel extra diem criticum, evacuatur, ob materiæ copiam, pravitatem, vel naturæ debilitatem. MEDIOS, quibus in progressu morbi, post aliqua coctionis signa, & cum mediocri virium robore, notabili autem morbi remissione, materia excernitur. Symptomaticos denuò observant triplices; TEMPORE, quibus saltem ante perfectam coctionem, circa principium morbi, natura, nimis irritata, humores peccantes expellit; coincidentes cum medio. QUALITATE, quibus non quæ morbum parit, sed alia evacuatur materia. QUANTITATE, quibus & quæ peccat, & quæ non peccat materia, nimia copia evacuatur.

In critico igitur, si omnes habeat conditiones, cum *Hipp. 1. aph. 20.* quiescendum. COHIBENDI autem symptomatoci qualitate, cum in omni morbo causa effectrix removenda sit quod ii nō præstant. quantitate, quia vires debilitantur; at *ἡς φύσεως ἀντιπερισσίου, νεκρὰ πάντα.* PERMITTENDI vel etiam promovendi, symptomatoci tempore tantum. Etsi enim aliquid utilis materiæ cum vitiosis humoribus evacuatur, & graviora symptomata sunt conjuncta; nihilominus materiæ morbificæ copia immittitur, ut natura reliquias facilius & felicius vincere possit, morbusq; levatur. *1. aph. 2.* videndum tamen quid vires ferant, nam *ἡσυχῶν φύσις ἰητέρι.*

DEDUCITUR inde in specie, solutio controversiæ,
AN in febrium petechialium initiis, maculis jam apparen-
tibus, cum symptomatum leviori remissione, purgatio &
venæsectio, si requirantur, nihilominus sint adhibenda.
Negantes nituntur his. 1. Medici est, naturæ motus finem
expectare, eumq; imitari, præsertim si appareant copio-
siores; potius ergo juvabunt sudorifera. 2. Venæsectione
ad interiora materia revocaretur. CONTRA. 1. Maculæ hæ
plerumq; ægrum nihil juvant, nec aliquid de materia mor-
bifica, aut si aliquid, pauci tollunt, nisi alia accedat mani-
festa excretio. quapropter ad motus symptomaticos, quæ
sunt sine materiæ excretionem, referendæ. atqui nihil eo-
rum, quæ decretoria sunt, exiguum secerni convenit, *Gal. 1.
Prorrh. c. 2. t. 47.* copiosiores autem petechiæ materiæ po-
tius malignæ copiam & periculum portendunt, naturamq;
debilem, quæ crisi non sufficiat. 2. Venæsectio si ad inte-
riora revocat, quæ secundum *Galen. 12. m. m. 15.* naturam ab-
onere, quo in febribus premitur, liberat? Videri potest *Hipp.
6. epid. com. 2. t. 30. Gal. in comm.* Porro si *μιάσμα* esset forin-
secus haustum, ad interiora forsan, ob exinanitionem
venarum, posset promoveri ac trahi; sed isto re-
spectu venæsectio simpliciter nec con-
ducit, nec hic svadetur.

FINIS.



Quî flammâs deceat febriû delere ma-
lignas,
seminecesq; orci faucibus eripere;
Sat Tibi perspectum est, quamvis frendente
Charonte,
cui per Te crebro præda petita deest.
Hinc Tibi perpetui surget flos vernus Ho-
noris,
lambet & ingenuas blâda corona comas.

BALTH. WIDMARCTERE

*Adscende ad HONORIS culmen per ardua:
Aditum VIRTUS paravit: Doctrina &
multijuga scientia Medica famam tibi con-
ciliabunt invidendam. Hoc votum est PRÆ-
SIDIS, qui conatibus tuis omnia fausta ap-
precatur.*

Febris maligna quæ queat restinguier,
ægrisq; reddi sanitas deperdita
monstrare, sat laboris est gravissimi:
Tu non tamen terreris hoc tanto malo;
sed pharmacis quibus sit obviare fas
doces peritè, providè, cautè doces.
Hygea conatus tuos amplissimis
mox prosequetur (auguror hoc) præmiis.

Paulus Marquartus Slegel
D. P. P.

THE
LIBRARY OF THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY
AND
HUMAN ANTHROPOLOGY
OF THE
SMITHSONIAN INSTITUTION
WASHINGTON, D. C.

RECEIVED
JAN 10 1891

FROM
THE
LIBRARY OF THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY
AND
HUMAN ANTHROPOLOGY
OF THE
SMITHSONIAN INSTITUTION
WASHINGTON, D. C.

RECEIVED
JAN 10 1891